DISQVISITIO SOLENNIS MEDICA
IN QVA
DE PILIS, EORVMQVE MORBIS

ILLVSTRIS ET GRATIOSI ORDINIS MEDICI
CONSENSV

PRAESIDE

BRANDANO MEIBOMIO

SERENISS. ET POTENTISS. MAGNAE BRITANNIAE REGIS
ET SER. DVCIS BRVNSV. ET LVNEB. CONSILIARIO AVLICO
ARCHIATRO GVELPHICO, DOCTORE ET MEDICINAE PRACT.
PROFESSORE ORDINARIO, COLLEGII MEDICI SENIORE
ET H. T. DECANO

PATRONO PIE COLENDO

PRO SVMMIS IN ARTE SALVTARI
IMPETRANDIS HONORIBVS

IN IVLEO MAIORI

HORIS CONSVETIS
DISSERET

IO. GODOFR. MICHAEL NOEBLING

LEVTENBERGA-SCHWARTZBVRGENSIS

D. X. IVNII MDCCXXXX.

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA
ACAD. TYPOGR.

ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

SAMVELI GODOFREDO REGEMANNO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS DANIAE ET NORWEGIÆ

CONSILIARIO JVSTITIAE

GRAVISSIMO

PATRONO SVO

OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

DISSERTATIONEM HANC SVAM

INAVGVRALEM

GRATAE MENTIS ET PERPETVAE OBSERVANTIAE

INTERPRETEM

CVM PERPETVAE SANITATIS

AC SPLENDIDISSIMAE FAMILIAE PROSPERITATIS

VOTO

SACRAM ESSE

CVPIT

ET

OFFERT

AVTOR.

PROOEMIVM.

Quam vilia alia aliis videntur, tam utilia multa ſe ſimplicitate probant & ſcite judicavit HAGEDORNIUS A. N. C. Dec. I. Ann. 3. obſ. 216. etiam in viliſſimis famoſa latet virtus, nec omne, ampulloſo quod gaudet titulo, ſi ad examen vocatur, tanti eſt. Quid autem pilis vilius? quid abjectius? vulgo pro excrementis habentur & de re nullius ferme pretii locuturi dicunt, ne pili quidem eam faciendam eſſe, quid, quod SCALIGER Lib. de Hiſtor. plantar. aſſeverat, pilos in homine nullos eſſe neceſſarios. Sed tamen, naturam nihil facere fruſtra, extra omnem litem poſitum eſt; & quem fugit, eſſe pilos non tantum ornamento, verum etiam emolumento? Hinc ego, cum

cum de Specimine inaugurali exarando mente occuparer, operæ pretium credidi, ſi pilos ulteriori ſubjicerem indagationi, cum in contemplatione rerum naturæ nihil videri poſſit ſupervacaneum vel otioſum, ſecundum illud ARISTOTELIS L. I. de part. animal. *ἐν πᾶσι γὰρ τοῖς Φισικοῖς ἐνέστι τι θαυμαστὸν* & cum ipſa rerum natura nuſquam magis, quam in minimis tota ſit, ut PLINIUS loquitur. Rimabor autem pilorum non ſolum ſtatum naturalem, ſed eorum quoque conſtitutionem præter naturam pro viribus inveſtigabor, quæ an ſuffecerint ad feliciter hanc de pilis materiam explicandam, judicet æquus Lector. Ego divinum Numen, cœleſtem illum humanarum actionum moderatorem, ſine cujus ſingulari voluntate ne unus quidem de pilis ex capite in terram decidit, ut proſperis ſucceſſibus adſiſtat clementer, humillime comprecor.

§. I.

Pili ſunt corpora filamentoſa, flexilia, varii coloris & formæ, ex bulbo per cutem ad integumentum creſcentia.

§. II.

Creſcunt pili in diverſis corporis partibus & diverſa ideo nanciſcuntur nomina. Sic in medio menti progerminantes pappus audiunt, Vibriſſæ in naribus, &c.

§. III.

De pilis congenitis & poſtgenitis.

Pili in capite, ſuperciliis & palpebris fœtui in utero matris excreſcunt & congeniti dicuntur, reliqui poſtgeniti, qui omnes ſucceſſu ætatis proveniunt. Feminæ circa initium menſium pubeſcunt; viri cum lanugine genarum in inguine criniuntur; ſed ſerius ii, quibus ſpina infra ſeptum transverſum gibba eſt & minus complentur, quam quibus gibba eſt pars ſuperior, uti HIPPOCRATES affirmat Lib. de Articulis. Alias tam pubes quam barba ſignum eſt præſentis ſeminis. Pili ſubalares tardius & poſtremo in pectore & reliqua cute iidem propullulant. Hanc vero regulam non eſſe ſine exceptione, monſtrat SCHENCKIVS Obſ. L. II. p. 331. ubi meminit puellæ cum pilis ſub alis & in pube natæ.

§. IV.

De hirſutis.

Qui in totâ fere corporis ſuperficie crines alunt, ut Eſau, illi de eo nomen gerunt, vel etiam hirſuti appellantur. Sunt autem agreſtes homines præ aliis

piloſi

piloſi partim ob aërem, partim ob victum. Hinc puer, cujus mentionem facit DIGB. Tract. de Corp. cap. 27. in ſylvis more ferarum ad virilem ætatem provectus, at tandem captus per totum corpus pilis horridus fuit, qui tamen mutato aëre & victu ac corpore veſtibus induto magna ex parte exciderunt. Alius puer ex India advectus candidis pilis totus tectus fuit, quem Galli propterea Barbet, i. e. canem villoſum nominarunt. vid. SCALIGER. de Subtilitate ad Cardan. Exercit. 115. n. 2. f. m. 427. COLVMB. de re Anat. L. 13. c. 2. p. 470. BOSCII Diſſ. de Concord. Med. & Phyſic. theſ. 41.

§. V.

Locus, ubi pili creſcunt, eſt in genere cutis, ſed bulbos altius implantatos habent, qui ſub epidermide & cute pinguedini ipſi inſident, ſecundum RVYSCHIVM, Epiſt. I. ubi per radices & fibras tenuiſſimas annectuntur ſubtiliſſimis & exiliſſimis vaſculis ſanguineis & fibrillis nerveis, ita ut extremitates nervorum initium ſint pilorum, unde etiam a RVYSCHIO Theſ. Anat. X. p. 6. efflorescentiæ vocantur papillarum nervoſarum; hinc ſi radix pili vi quadam extrahitur, id non fit ſine doloris ſenſu, cum fibræ nerveæ inde patiantur.

§. VI.

Structura pilorum plane ſingularis eſt & diſtincta ab omnibus corporis partibus reliquis. Nam plantæ ſpeciem quandam præ ſe ferunt. Microſcopio ſi

ſi inſpiciuntur, inæquales ſunt, transparentes, interdum nodoſi, qui noduli nihil aliud ſunt quam valvulæ reditum ſucci contenti ſuflaminantes, extremitate inſtar penicilli in filamenta plerumque fiſſa; figura aliorum triangularis eſt, aliorum quadrata, non vero, ut nonnullorum eſt ſententia, cavitate notabili dotati, in qua ſubſtantia inſit medullaris, ſed potius, ut plantæ, ex innumeris vaſculis tenuiſſimis coagmentatæ ſunt, per quos humor fertur & circulatur & hac ratione etiam creſcunt, & uti plantæ bulbis ſeu radicibus, multisque fibris inſtructæ ſunt, per quas nutrimentum ſuum ex terra eliciunt, ita & pili iisdem gaudent partibus. Bulbi enim eorum, tuliparum bulbis ſimillimi, ſunt cavi inſtar pennarum avium juniorum, quae vaſculoſa pars folliculo includitur ovali, uti in ſetis & maioribus pilis barbæ bovis vel felis videre licet clariſſime, per quem fluido patet ingreſſus. vid. CHIRAC. in Supplem. II. Act. Erud. Tab. VIII.

§. VII.

Hinc pro ratione humoris illius, qui radices pilorum intrat, ejusque diverſa tinctura, pili etiam, ut plantæ, diverſo imbuuntur colore, nigro ſcilicet, ruſo, albo, fuſco, bruno, interdum viridi. Cum enim ſanguis ad nutritionem pilorum ſuum quoque conferat ſymbolum, ſequitur, tincturam pilorum interdum ab ejus colore dependere poſſe. Sed vidi puerperæ lochia ira ſuppreſſa, medicamentis dein reſtituta viridia, ergo vi circulationis ſanguis viridis etiam ad pi- *Color.*

los venire poteſt. Et recte HIPPOCRATES dixit Lib. de Natura pueri: qualemcunque humiditatem caro attraxerit, tali colore etiam pilus inficitur.

§. VIII.

Color hic non modo pro diverſitate temperamentorum, ætatum, ſed maxime etiam regionis variat & vitæ generis. Ita qui regiones incolunt frigidiſſimas ſeptentrionales potiſſimum albi coloris pilos gerunt, nigros vero qui in calidiſſimis locis orientalibus & meridionalibus habitant, intermedium pilorum colorem habent illi populi, qui degunt in locis temperatioribus. Ratione ætatis infantes ſemper dilutiorem colorem, viri magis concentratum monſtrant. In ſenibus autem pili caneſcere incipiunt, id eſt, extreme albi fiunt. Phlegmatici nigris vix unquam teguntur crinibus. In cuprum tractantibus virideſcentes obſervantur, cujus vero coloris cauſam ab externa oriri opinor, tunicis crinium aliam configurationem inferente, quæ poſtea, radios lucis ſub alio angulo reflectunt. Quidquid ſit, recte tamen SCALIGER l. c. Cardani ſententiam, non dari pilos virides, refutavit. Imo DOLAEVS in Encyclop. chirurg. p. 26. refert, ſe Londini hominis vidiſſe crines inſtar iridis, quod illi inſtar priſmatis conſtructi erant, & paulo poſt, vidi alium, inquit, qui crines inſtar lanæ nigræ geſtabat. Ratione tactus pili in ſiccioribus duriores ſunt, in humidioribus molliores, præter pubem & ſubalares. vid. celeb. HEISTER. Compend. Anat. Edit. IV. p. 71.

§. IX.

§. IX.

Locus etiam in culpa eſt, quod pili in omnibus partibus non ejusdem ſint texturæ, prout enim cutis craſſa vel tenuis, denſa vel rara, ita pori ſunt conſtituti pilos emittentes. Sic circa dorſum animalium tergora ſunt denſiora ac craſſiora, hinc hiſpidiores quoque pili deprehenduntur, molliores vero & leniores circa ventrem & GLISSONIVS, rigidiſſima, ait, ſetarum ſeries ex cute ſpinali exſeritur, ſimiliter e jubis & caudis equorum, aliorumque multorum animalium longiores & craſſiores pili erumpunt.

§. X.

Porro crines alios rectos, alios criſpos videmus, id quod ad pororum meatus refero. Prouti enim hi configurati ſunt pro alimento cribrando, pili vel recti ſunt, ſi magis ſecundum lineam rectam, criſpati, ſi ſecundum ſinuoſam, anfractuoſam & intortam extenduntur lineam, quo in poſteriori caſu major pororum anguſtia & cutis magis vigoroſa eſt, hinc pili criſpi robur corporis præ aliis denotant, ſecundum AVICENNAM L. 3. Fen. 2. Tract. I. cap. 3. duri vero mentis vigorem, juxta illud: *De Pilis rectis & criſpis.*

- - duræ per brachia ſetæ
promittunt atrocem animum.

§. XI.

Ex Anatomicis notum eſt, quod ramus valde eximius ex jugulari externa & carotide itidem externa *De Nutritione pilorum*

na pone aurem ſub auricula aſcendat ad ipſam baſin, quæ ſub panniculi carnoſi nomine venit, ipſius capitis cutis, isque in multiplices ſurculos diſpergitur. Ex quo patet, ſatis inſignem ſanguinis quantitatem deferri ad capitis integumenta non tantum ad nutritionem horum præſtandam, ſed etiam ad capillorum augmentum ſuppeditandum. Hinc in Plica polonica ſi pili abraduntur, teſte JONSTONO, interdum ſanguinem ſincerum plorant.

§. XII.

Præterea inſignes ramificationes nervorum e vertebris colli & pari ſeptimo cerebri ad pericranium abeunt, quæ hanc membranam ad exquiſitum ſenſum & motum tonicum animant, extremitates vero nervulorum corpus reticulare MALPIGHII conſtituunt & pilorum radicibus accreti ſunt. De innumeris vaſculis, quæ ad minutiſſimas ſupremæ cuticulæ ſquammulas deferuntur, legi poteſt in Epiſtolis Anton. a LEEVENHOECK.

§. XIII.

Quod alimentum ſucceſſive pilis ſeſe inſinuet, teſtatur eorum cultura, ſi enim circa calidum ferrum revolvuntur & exſiccantur, cincinnos non diu perſiſtentes componunt, quoniam a novo affluxu relaxantur. Crines autem mortuorum reſecati ſemel contorti per longum temporis ſpatium tales perſeverant. Et pili ſicuti ab humido extenduntur, ita eo deficiente contrahuntur, uti ſicco pulvere aſper-

ſos

ſos in curvum videmus converti, ac laminis ignitis impoſitos ad inſtar vermium torqueri. Id quod & in floribus accidit, qui ſub æſtu ſolis magis tranſpirant & corrugantur, donec novo per noctem influxu reſiliant.

§. XIV.

Materia, qua conſtant, ſeu ſuccus, quo nutriuntur pili, non omnibus idem eſt. AVERRÖES Collect. 1. pilos ex ſuperfluitate cibi genitos vult. DIOCLES & SENNERTVS ex ſero excrementitio ad glandulas ſubcutaneas congeſto eorum ſuccum deduci debere contendunt, & HIPPOCRATES Lib. de Carnib. diſerte ait, pilos ex glutinoſo fieri, nec ab ea opinione receſſit ARISTOTELES L. 3. de Hiſt. animal. cap. 11. nec NIC. FLORENT. Serm. 7. tr. 6. c. 22. GALENVS Lib. XIV. de method. med. cap. 18. quod, inquit, limoſum eſt, ſcilicet ex ſuccis, qui per cutim tranſpirant, id pilos tum a principio gignit, tum de cetero veluti ſuccreſcendo auget. Et vere unctuoſitas pilorum igne probatur, quem tam facile concipiunt & evulſorum præſertim nigrorum radices volas manuum attingentes adeo pertinaciter adhærent, ut ſummo afflatu e loco moveri nequeant. Quid? quod eorum humor adeo glutinoſus eſt, ut teſtante ARISTOTELE, l. c. L. V. cap. 4. corpuſcula leviora attollere valeat. BOHNIVS vero in circulo Anat. pag. 231. pilorum ſuccum nutritium ex ſanguine laudabili derivare mavult.

§. XV.

Ego dico, eſſe illorum ſuccum, quo augmentum ſumunt, nutritium quidem, lymphaticum, roſcidum, ſed tamen a lympha nutritia reliquarum partium multum diſtantem, primo propter colorem, deinde etiam, quia ex pilis nulla gelatina coctione, uti ex aliis Corporis partibus extrahi poteſt, ſed id peculiare præ reliquis habere, ut longe majorem copiam ſalis volatilis oleoſi empyreumatici præbeant, aperto igne ſi deſtillantur; unde ſuccus, quo nutriuntur ad excrementitios ſalino-ſulphureos merito referri debet.

§. XVI.

Præterea ſal pilis ineſſe, teſtatum facit crepitus, quem edunt, dum accenduntur. Sulphur vero per ejus abſentiam ſeu defectum probo, cum non aliam ob cauſam phlegmaticos & feminas barba aut deſtitutos aut rariori munitos credam, quam ob largius ſerum & deficiens ſulphur in eorum ſanguine, unde apud HIPPOCR. Lib. 6. Epid. de Phætuſa legimus, in juventute fœcunda, eam ex defectu menſium non ſolum barbam emiſiſſe, ſed toto etiam corpore evaſiſſe hiſpidam; pariter RIOLANUS in Encheirid. Anat. p. m. 593. juvenculæ meminit triginta annorum menſes nondum expertæ, quæ barbam inſtar viri promiſſam cum myſtacibus geſtabat. Id quod utrumque nonniſi ex majori partium ſuphurearum quantitate ſic remanente factum fuiſſe, liquido conſtat. vid. ALEXAND. BENEDICT. L. 26. curand. morb. c. 4.

§. XVII.

§. XVII.

Ex hiſce adductis colligitur, pilorum productionem & incrementum ſpectare ad ſaluberrimas excretionum ſpecies, quibus ſucci corporis noſtri vitales egregie depurantur. *Pili ſunt excretio ſalutaris.*

§. XVIII.

Quare obſervamus, plures a capitis affectibus præſervatos fuiſſe majori facto excremento pilorum, v. c. a capitis doloribus, oculorum & aurium defluxionibus, quod maxime experimur in infantibus, qui affectus familiariſſimi ſponte tunc deſinunt.

§. XIX.

Pari modo ſi eorum productio impeditur, ſi caput inſueto frigori exponitur, ſi abſcinduntur, inde capitis dolores ſæpe cum vertigine, tinnitu aurium juncti, item defluxiones acres calidæ incidunt, quæ ſucceſſive cum majori incremento pilorum ab externis auxiliis præſertim promoto ceſſant.

§. XX.

Materia enim hac excrementitia quocunque modo ſuppreſſa reſtant particulæ ſubtiliores ſalino-ſulphureæ & ad nerveo-membranoſas partes, inprimis & proxime ad pericranium retrolabuntur, idque ſua acrimonia offendunt ac illiusmodi ſymptomata producunt.

§. XXI.

Vlterius quod ad excernicula ſeu ad excretiones *De Plica* ſalu-

Polonica. ſalutares ſpectent pili, clariſſime oſtendit morbus, certis populis familiaris pilorum, qui Plica dicitur & quidem, quoniam in Polonia frequens eſt, Polonica, quæ conſtat in eo, ut magnus manipulus pilorum in longitudinem creſcentium ex capite plerumque fiat proventus, qui ſucceſſive inter ſe contorquentur, implicantur, intricantur, ut abeant in cirrum inenodabilem, germanice in einen Zopff/ qui pectine minus diſcerni queat.

§. XXII.

Plures, antequam hæc excretio prorumpit, gravioribus vexantur morbis, immani ſcilicet capitis dolore, ſi materia illa ſalino-ſulphurea perioſtium infeſtat, convulſionibus, epilepſia, ſi eadem meninges irritat, qui affectus remittunt vel deſinunt excretione hac Plicæ facta, quæ ideo omnibus modis promovenda eſt.

§. XXIII.

Qui Plicam gerunt, ordinario ſanæ ſunt conſtitutionis, modo eam religioſe intactam ſervent nec unguentis turbent poros cutis obviſcantibus aut refrigerantibus, neque eam abſcindant, alias materia excrementitia recedit & ſævas excitat cephalalgias, phrenitides, cœcitatem, dolores artuum & ſpinæ dorſi, qui ab eroſione materiæ acris oriuntur, quæ ligamenta tendinoſo-membranoſa adit & ſæpe luxationes profert, imo cartilagines interdum & oſſa eroſa & corrupta relinquit, ut levi vi frangi queant.

Qua

Qua de re exempla rariora legi poſſunt in Stabelii Diſſert. de Plica Polon. præſertim Hiſtor. II. p. 14.

§. XXIV.

Cauſa hujus peculiaris affectus eſt nimia reſolutio ſeu atonia vaſculorum & ductuum, qui radices pilorum ingrediuntur & iis humorem excrementitium inſtillant, ſed jam magis vitioſum ac in ſtatu naturali, ſaltim per latiores bulbos majores penetrant particulæ, quæ, cum propter craſſitiem ad extrema anguſtiora pervenire nequeant, retardantur in via & prope ſtipitem majori affluxu canaliculum ita extendunt, qui tandem cum rima diſſiliat & humor contentus exſtillet, qui poſtea in cute ſepoſitus per moram pilos miſcet & conglutinat, ut ſpurciſſimæ inde connectantur tricæ. Ex ſuperflua enim humiditate pili, tanquam plantæ in humido ſolo, luxuriare ſolent.

§. XXV.

Inter cauſas remotas præter contagium abuſus mulſi, vulgo Meth dicti, quo gaudent hi populi, eminet, & quia ſub humido cœlo & locis humilioribus dormiunt ac plurimi nigros alunt pilos. Melius adhuc miras has implicationes explicarem, ſi cum Doctiſſimo Roder. a Fonſeca in Conſult. de Plica, convulſionem crinium admitterem.

§. XXVI.

Inſtar regulæ hic tenendum, hanc materiam pilorum per nulla alia ſecretorio-excretoria organa,

ut alvum, renes, ſudorem elici poſſe, ſed mechaniſmum hic eſſe ſeu pororum configurationem plane ſpecialem, vi cujus pilorum ſuccus ſub capitis cutem deponitur & in illorum radices penetrando ſucceſſive foras amandatur, exemplo diverſæ ſpeciei plantarum in una terra, quarum una quælibet ſibi diſtributam diverſam ab alia aſſumit ſubſtantiam, pro organiſata filtrationis diſpoſitione.

§. XXVII.

Ex hoc clareſcit ratio, cur non omnes, licet eodem vitæ genere & aëre fruantur, hoc morbo vexentur, ſed pauci ſaltem ſint eorum, qui deformi hoc organo inſtructi reperiuntur.

§. XXVIII.

Et cum ratio diſpoſitionis hæreditariæ maxime in partibus ſolidis deliteſcat, nihil mirum eſt, hunc morbum plurimum deberi parentibus, nec facile infantem ex parentibus plicatis natum immunem ab hoc inquinamento inveniri, teſtantur Poloni, ut ideo & hic recte cecinerit Poëta:

Multa pater, materque valent infundere natis,
Tranſit & in ſeri jura nepotis avus.

§. XXIX.

Porro ex his patet, cur hoc malum tam ægre curationem ſuſcipiat, partes enim ſolidæ vix unquam medicamentis obediunt, & purgantia, ſudorifera ac diuretica, cum agant per loca non competentia, plus nocent, quam proſunt.

§.XXX.

§. XXX.

Cum itaque crines tantum idonei ſint ad hanc excretionem ſalutarem recipiendam, locus vero, quo pili progerminare ſolent, variet, hinc præter caput etiam in aliis corporis partibus plicæ reperiuntur, præſertim ſi, quæ in capite erant, reſecatæ fuerint, quo in caſu Hainius in inguine plicas obſervavit, vid. Ephemer. Germ. An. 3. Dec. 1. obſ. 221. Et adhuc Lugduni Batav. in Theatro Anatomico plica oſtenditur pudendorum muliebrium, ubi crines in tantam excreverunt longitudinem, ut terram attingerent.

§. XXXI.

Si ſuſpicio adeſt ſuſcepti contagii aut ſi excretio hæc pilorum ſuppreſſa fuerit, tunc illa optime & ſpecifice promovetur peculiaris efficaciæ remedio, nempe decocto herbæ lycopodii & ejus ſeminis, quo frequenter caput eſt illinendum, hoc propter humiditatem calidam partim relaxat & reſerat tubulos & poros aridos, partim etiam, roborando expulſionem humidi, excretionem adjuvat.

§. XXXII.

Interne decocta aquoſa diluta, Tinct. antimonii cum Eſſent. Pimpin. alb. leniter laxantia, diaphoretica antimoniata & interdum adhibita V. S. proſunt, ſed ſolum id efficiunt, ut humorum nimia copia & ſpiſſitudo auferantur, inquinamentum vero hoc fermenteſcentis indolis, quod non niſi per pilos ſe-& excerni poteſt, vix alteratur nec vitioſi hi motus vix unquam deſinunt.

 §. XXXIII.

§. XXXIII.

Hoc morbo præter hominem etiam animalia quædam infeſtari ſolent, id quod præſertim de equis in Hungaria obſervavit SENNERTVS L.5. Prax. med. Part. 3. Sect. 2. Cap. 9. neque iisdem in Holſatia raro id evenit.

§. XXXIV.

De puſtulis genarum proventu barbæ ſublatis.

Vlterius excretio pilorum ſalutem affert iis, quibus varia exanthemata, maculæ vel puſtulæ in facie inferiori effloruerunt, quod fit, ſi tenuiſſimi illi tubuli, qui liquidum vehunt, ob ejus copiam aperiuntur, ut extravaſatio humoris fiat, ſimul vero ac barba prorumpit, copia iſtius fluidi imminuitur & effloreſcentiæ illæ plerumque ceſſant, quæ antea nullis medicamentis abigi potuerant.

§. XXXV.

Cruſta lactea.

Sequitur jam pilorum quidam morbus, Cruſta lactea dictus, quo lactumina ſeu puſtulæ prurientes rubræ in Capitis parte præcipue capillata oriuntur, ſuppurantur, exulcerantur, exſiccantur, quo facto pori cutis & crinium tubuli conſtringuntur, ut excretio decens fieri nequeat, qua prohibita denuo exanthemata, Græcis Achores dicta, prorumpunt, ut ulcus inde manans cruſtoſum ſequatur.

§. XXXVI.

Tinea capitis.

Hoc malum ſi diutius duraverit, malignius inde & pertinacius evadit aliud, quod tinea vocatur Capitis, vid. SENNERT. Tr. de morbis infantum c.4.

p. m.

p. m. 772. in hac radices pilorum corrumpuntur, ut excidant, pili vero ipſi non aliter, quam panni a tineis exeſi hinc inde defluant. leg. HEVRNIVS Lib. de morbis capitis, cap. VII. Hujus morbi quinque ſpecies Haly Abbas Theor. Lib. VIII. c. 18. recenſet, Sextam addit CAPIVACCIVS Lib. I. c. I. quæ tamen revera non niſi gradu differunt. vid. PLATER. Prax. p. m. 762.

§. XXXVII.

Morbus hic per raro adoleſcentes & viros invadit, ſed infantibus proprius eſt, quia major in hisce adeſt lymphæ quantitas & major tranſpiratio, quam in adultis, hinc ſi quid impurum humoribus ingeneratur, facile ad cutim ejicitur| & cum infantibus primum caput maxime nutriatur, nihil mirum, ſi idem præ ceteris corporis partibus magis inquinatur.

§. XXXVIII.

Sed licet, ſi acidum in primis infantum viis obveniat, id lympham eorum inquinet & interdum hoc malum exaggeret, illi tamen errare mihi videntur, qui a materia maligna acri cauſtica ſemper fieri exulcerationes haſce capitis ſibi perſuadent & impurum illum & valde malignum humorem e corpore expurgare volunt per mercurialia, viperina ac martialia, cum ſæpiſſime ſola ſucci ſeroſi copia hic peccet, quæ primo pilorum incrementum auget, hinc NENTERVS in Fundam. Medic. T. II. p. 939. recte obſervavit, infantes, pilos in majori quantitate generantes, præ aliis huic malo eſſe obnoxios, deinde vero ea-

dem copia nimium diſtenduntur, imo dilacerantur partim minimi vaſorum lymphaticorum tubuli, partim etiam crinium, ubi extravaſato illo ſero viſcoſitas & per moram corruptio gignitur, largiorque effluxus pilos invicem complicat & conglutinat.

§. XXXIX.

Alii, quibus a ſeminio verminoſo deducere plures morbos placuit, etiam hic acaros præſupponunt, qui inter cuticulam & cutem ſibi nidum formant, illumque amplificaturi, dum epidermidem a cute ſeparare conantur, pruritum excitant, ideo magis ſenſibilem, quod cutis, ſeparata cuticula, etiam leviſſimum contactum ægre ferat, ſerum vero ſub cuticula eodem jure, quo in ambuſtis & veſicatoriis e cute tranſudans colligitur, vid. RIVINI Diſſ. de Prurit. Exanthem. ab Acar. §. 47. p. 24.

§. XL.

Quicquid ſit, abſtinendum tamen eſt ab omnibus fortioribus exſiccantibus & repercutientibus, quæ facile noxam inferre poſſunt partibus in infantili ætate tenerioribus nerveis, uti ſæpius obſervatum fuit, hiſce deinde exſurgere febres, convulſiones & aſthmata; ſed tantum ea ordinanda ſunt, quæ copiam ſeri imminuunt, ſtagnantes humores reſolvunt & ad alias partes evacuationis gratia derivant ac poſtea læſam capitis tubuloſam ſubſtantiam conſolidant tam alimentis quam medicamentis, ut ſunt potus valde tenuis, cibus levis, pulveres bezoardici cum infuſo Veronicæ diluto copioſius hauſto & maxime omni-

um

um rhabarbarina & mannata nec non æthiops mineralis vel hujus vice mercur. dulc. cum Sulphur. antimon. aurato combinatus repetita doſi propinata, qua ſic humorum quantitate & qualitate immutata, externe oleum Tartari p. d. vel l' eau d' Arquebuſade opem fert utiliſſimam. Praeterea unguentum Enulatum tam admirandæ virtutis hoc in caſu eſſe aſſeverat AMAT. LVSITANVS Cent. II. Cur. 98. p. 235. ut incantamento ſimile videatur. Et Ill. Löw. ab ERLSFELD in Tr. de Variolis, cui accedit Apod. med. de morb. infant. p. 390. promittit caſum cruſtæ intra 24. horas ex cataplasmateNaſturtii triti & frixi cum axungia porci. Quodſi pili admodum conglutinati ſunt, & remediorum applicationem impediunt, tunc prius forcipe abſcindi debent.

§. XLI.

De hisce capitis affectibus adhuc notandum, quod ſatius ſit, eos ſibi aliquamdiu relinquere, quam juſto citius reprimere, cum excretiones ſint ſalutares & a majoribus præſervent malis, e. g. Epilepſia, uti HIPPOCRATES teſtatur Lib. de morbo ſacro.

§. XLII.

Ex morbis pilorum conſiderari quoque meretur eorum defluvium ſeu Alopecia, quam antecedit atrophia & ſubſequitur calvities. *De Alopecia & Catritic.*

§. XLIII.

Poſt graves perpeſſos præſertim acutos morbos & luem veneream Alopecia maxime eſt familiaris, item poſt Elephanthiaſin teſte GALENO L. II. de uſu partium

partium, tum quod calore pori ac tubuli cutis & crinium exſiccati & aridi redditi fuerint, tum quod humidum etiam nimis conſumtum & vitiatum in his morbis fuerit, ſed ſanitate redeunte ſuccus novus rurſus ingeneratur, qui novorum pilorum incrementum ſuppeditat, & illos, qui forte adhuc reſtant, protrudit, ut defluant.

§. XLIV.

Idem obſervare licet in beſtiis, quæ per hyemem ob nives non bene ſe nutriunt, hinc cutis earum exſiccatur & crines ſucco deſtituuntur, frigus inſuper extremos canaliculos conſtringit; ineunte vero vere, dum aër calidior fit & novum ac uberius recedit pabulum, tunc novus quoque & copioſus progignitur ſuccus, qui crines aridos & cornua v. g. in Cervis propellit, ut deponantur & nova prodeant.

§. XLV.

Cum vero & alia corpus ſucco privent, ut ſtudia, venus, juſto majori gradu adhibita, item ſenectus, hinc multos videmus calveſcere juvenes æque ac ſenes. Præterea calvos a terrore obſervavit Schenckius Obſ. Lib. 1. fol. 4. & ab improvida mercuriali inunctione quendam calvitiem reportaſſe, narrat Dolæus l. c. p. 24. Poſt tineam fere ſemper capillorum defluvium ſequitur. Sed rariſſime Eunuchi calveſcunt, quia humidiores ſunt. Tanto citius autem in ſalacioribus hominibus pilos defluere, ſcribit ARISTOTELES, Problem. XX. Sect. 4.

§. XLVI.

§. XLVI.

Quemadmodum pili ornamento ſunt, ſic calvities homines juniores dedecet & illos deformes reddit, prout OVIDIUS cecinit:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine Campus,
Et ſine fronde arbor & ſine Crine caput.

Quæ cum ita ſint, dedecori huic eo magis occurrendum eſt opportunis medicamentis & remediis.

§. XLVII.

Quicquid autem novo pilorum proventui anſam dat, id eo redit, ut pori cutis relaxentur, & ſimul fibris & tubulis pilorum robur quoddam ad expulſionem neceſſarium ſuppeditetur & denique ſufficiens regeneretur ſuccus, cujus motus verſus caput eſt determinandus.

§. XLVIII.

Poſteriori indicationi ſatisfit per diluentia, facilius enim eſt potu refici quam cibo, ſecundum HIPPOCR. aphor. XI. Sect. 2. & analeptica; ita GALENUS in adoleſcente vidit alopeciam ex eſu fungorum contractam, quæ cibis euchymis eſt reparata. Prioribus velificatur per raſionem pilorum repetitam, quam ſuadet CELSUS L. 6. c. 1. & ſane, ſicut arbores ſæpius deacuminatæ uberius creſcunt, ſic barbam diligentius deraſam videmus eo largius erumpere. Deinde per frictionem, quam MERCURIALIS de morb. cutan. L. I. c. 13. p. 17. commendat, medicamenta, inquiens, capillis defluentibus non ſunt applicanda, niſi prius

 frice-

fricetur caput, quia frictione ipſum caput roboratur & nutrimentum magis attrahitur. Porro per pectinationem, hac enim frictionis ſpecie nonmodo furfures, ſtipites capillorum obſidentes, eorumque diametros conſtringentes & ſuccum nutritium ſufflaminantes abſterguntur, ſed etiam radices leniter agitantur, ut eo copioſius humores affluant, qui ſæpius ab alio interdum nobiliori loco ſtagnantes avocantur & revulſio inde fit ſalutaris. Placet hic SCHNEIDERI teſtimonium producere, qui Tr. de Catarrh. L. IV. c. 9. p. 716. ait; depectere aliquando capillos in catarrho expedit, ſed caute l. c. pag. 615. monet, fricationem illam non æque in principio ſed in fine convenire; conf. HOLLERIVS L. II. Prax. c. 18. it. Diſſert. ſub Præſidio Celeb. ALBERTI habit. de uſu pectinationis medico. Demum per lotiones cum decocto conorum abietis ex cereviſia facto, crebro, calideque applicato. Alii etiam hunc in finem Euphraſ. item ſtœchad. arabicum ad decoctionem commendant. Alii oleum pilorum vel caryophyllorum vel quod ex ladano & oleo lentiſcino conſtat, calvitio illinunt. Pili jamdenuo progerminati incremento citatiori augentur& extenſiorem aſſequuntur longitudinem, ſi ſedulo laventur decocto buxi calido.

§. XLIX.

Quodſi autem a materia acri radices pilorum corruptæ & pili prorſus eradicati vel pori coaliti fuerint, tunc nulla arte novi procreari poſſunt, ſed caput capillitio artificiali obtegendum, cum ita aliorum plumis honeſtius tunc ſuperbire liceat.

§. L.

§. L.

Præterea proventui pilorum & excretioni ſalutari obeſt pulvis ille cyprius, Germanis Puder dictus, quo crines aſpergi ſolent, præſertim ex muſco quercino factus, quo olim frequenter utebantur & licet ab hodierno ex alica præparato non tanta metuenda ſit noxa, tamen ſatis adhuc efficax eſt ad poros & tubulos capitis conſtringendos & ad ſupprimendam tranſpirationem. Porro frigus capiti operto admiſſum nec non cæſaries aſcititia citius juſto ineunte vere depoſita eodem modo nocent, ſæpiſſime enim, materia excrementitia recedente, inde oriuntur coryzæ, ophthalmiæ, vertigo.

De ſuppreſſione excretionis pilorum.

§. LI.

Quod ad prius attinet, pectinatio, qua impuritates abraduntur, optimum eſt remedium; ad poſterius vero commendo decoctum ARIOMONTANI ex agaric. helleb. nigr. majoran. ror. mar. flor. anth. meliſſ. cum anatica portione vini & lixivii ex cineribus alcalinis, quo pori aperiuntur, fibræ roborantur, humores alliciuntur & capillorum proventus promovetur, quo facto affectus ex hoc ſuppreſſo naſci ſoliti ceſſant.

§. LII.

Pergo jam ad aliam pilorum affectionem, canities nominatam, quæ colore ſe exſerit candido præternaturali & ordinario ſenibus competit, quibus ipſa ſenectus morbus, ſed HIPPOCRATES lib. de natura Puerorum Sect. III. affirmat, quoſdam vel a prima ætate caneſcere poſſe, quare merito malis hæreditariis

De canitie.

 accen-

accenſenda eſt, uti Seneca L. 3. Quæſt. Nat. cap. 29. inquit, in ſemine omnis futuri hominis ratio comprehenſa eſt & legem barbæ & canorum nondum natus infans habet. Poſſe etiam a matris imaginatione embryoni canitiem induci, teſtatur Athan. KIRCHERUS in mund. magnet. L. III. p. 569. & SCHENCK. l. c. fol. 3. Imo Canities certis familiis quaſi propria obſervatur, confer. Riedlin. lin. med. A. I. obſ. 16. p. 479.

§. LIII.

Obtingit etiam canities provectiori ætati, uti Caſp. HOFFMANNUS Lib. de Part. ſimpl. Corp. hum. c. 19. p. 121. de ſe ipſo aſſeverat, ſe circa vigeſimum jam annum incanuiſſe. Plura exempla vid. in Diſſ. ſub Celeb. ALBERTI præſidio habita de Canitie præmatura.

§. LIV.

Cauſa primaria hujus affectionis videtur deliteſcere in certa pororum radicum pilorum configuratione, forte magis adſtricta, qua non niſi ſuccus, album colorem offerens, abſorberi poteſt. Conſtat enim certa obſervatione, eos, quibus cani abraſi fuerant, iisdem rurſus tectos fuiſſe. Vel in defectu nutrimenti, quemadmodum arborum folia ex ſiccitate albeſcunt.

§. LV.

Hinc parum abeſt, quin ſudorem interdum accuſem cauſæ canitiei, qui ſcilicet pinguedinem ordinarie conſumit & diſſipat, quæ tamen, uti ſupra dixi, maximum pilorum nutrimentum conſtituit. Hoc ſaltim

tim negari nequit, omne id, quod pinguedinem devorat, pilorum incremento contrariari, hanc vero devorant curæ, venus, ſtudia nimia, quæ omnia ſpiritus intendunt & eorum motum accelerant, ut pinguedinem reſolvant; terrorem vero, metum, curas &c. plerumque ſequitur ſudor, qui vim ſuam in extremis corporis partibus exſerit. Sed tamen concedo, ſudorem non nimium quodammodo patrocinari pilorum proventui, id quod videmus in pilis ſubalaribus & capillis fœminarum, quia pinguedinem aliquantulum reſolvit, quæ dilutior facta eo melius pilorum radices intrare poteſt.

§. LVI.

Remote autem canities oritur jam a terrore & metu, de quo vid. RIOLANVS Lib. de Canitie. SCHENCK. l. c. fol. 1. jam a curis, vid. I. V. RVMLER. Obſ. med. 63. p. 37. mox a Venere nimia. I. B. SINIBALD. Lib. IX. Geneanth. T. 2. p. 726. mox a ſtudiis noctu dieque continuatis. M. SEBITZ in Spec. Prax. Part. II. Sect. I. c. 3. p. 233. neque hominibus tantum accidit, ſed & quibusdam animalibus, ut equis, vid. ALDROVAND. Lib. I. de Quadrup. c. 1. p. 12. & Canibus, de quo leg. Caſp. BAVHIN. Theatr. Anat. Lib. III. c. 2. p. 266.

§. LVII.

Non vero Canities inſtantis mortis prænuncia eſt, nec exquiſitam admittit curam, Canos enim prorſus mutare velle, idem eſt ac lavare æthiopem. Sed qui, eam dedecere, putet, illi ſuadeo, ut pectinentur capilli cum oleo ligni corylini pectini inuncto & pili tingentur aureo colore. Quibus niger ma-

gis arridet color, adeant Dolæum l. c. p. 30. & 42. De hujusmoai autem tincturis non reticendum eſt, quod non ita diu poſt diſpareant, ideoque ſæpius debeant reiterari. Senes vero hujusmodi remedia merito reſpuunt, quia de iis valet, quod ajunt: Cani ſunt venerandi.

§. LVIII.

De pilorum dolore.

Canitiem excipiat capitis quidam dolor, quo pili non niſi moleſte tanguntur, id quod Germani exprimunt: **die Haare thun wehe.** Accidit hoc ordinarie poſt crapulam, qua ob majorem ſanguinis motum per copiam ingeſti fluidi, præcipue vaporoſi ſulphurei parietes vaſorum nimis dilatantur, ut atonia inde ſequatur, quodſi tunc pilorum radices tactu irritentur, ægra oritur ſenſatio usque dum omnia ad naturalem redeant ſtatum.

§. LIX.

De horrore pilorum.

Nec inconſueta eſt loquendi formula: rigent capilli horrore, **die Haare ſtehen zu berge**; quale quid ex timore repentino & terrore fieri animadvertimus. Explicatio hujus phænomeni conſiſtit in motu ſanguinis retrogrado a peripheria verſus centrum, qui ſemper in hoc animi affectu contingit & ſecundatur a ſpaſmo totius cutis, qui maxime in capite obſervatur, hinc ſtipites pilorum cuti implantati ſimul eriguntur, cum cutis inſtar anſerinæ elevetur & ipſi pili rigidari videntur.

§. LX.

Supra dixi, quod pili ſint ornamento, ſed hoc non valet, niſi in loco extent ſolito. Sic in glabella prorumpentes crines viros æque deformes reddunt ac

fœmi-

fœminas genæ pilantes. Cui dedecori ut conſulant, plerumque Medici opem implorant. Sed dolendum, extirpationem hanc pilorum valde difficilem eſſe, quæ ſimul prohibet, ne redeant.

§. LXI.

De proventu pilorum in locis inſolitis externis.

Medicamenta, quæ pilos eradicant, vulgo Pſilothra audiunt & conſtant ex oleo, Salibus alcalibus, ut lixivio & calce viva, itemque acribus minori doſi, uti ex auripigmento compoſita, hæc enim materiam pinguem, pilorum nutrimentum, reſolvunt, unde vaſa eorum nutrientia coarctantur, nutritio ceſſat & poſtea leviſſima vi evelli poſſunt. Aliquando Dropaciſmus adhibetur, qui eſt applicatio emplaſtri tenaciſſimi ex pice & pauculo oleo, hic agit aliquantulum per oleum emolliendo & cohærendo firmius ope picis capillis, quos emplaſtrum vi externa remotum ſequaces habet. Sed cum multæ ſic remaneant bulbi, novi denuo ſuccreſcere ſolent, & cura hæc eſt tantum palliativa.

§. LXII.

Dropaciſmus in uvulæ relaxatione.

Ejusdem fere dropacis ſpecies eſt pilorum attractio e vertice in altum in uvulæ prolapſione, quam van MECKERN commendat in Obſ. Med. chirurg. cap. 29. p. 126. & cum relaxatio uvulæ dependeat ab atonia & majori ſeri influxu, per hanc tractionem autem, quæ agit ut rubefaciens, humor ſeroſus revellatur, facile patet ratio, cur hoc adminiculum ſæpiſſime pro certo expertum ſit, inprimis ſi ſimul per gargariſmata leniter adſtringentia uvulæ tonus reſtitutus fuerit.

§.LXIII.

§. LXIII.

De Diſtichiaſi.

Nonnunquam evenit, ut in palpebris ſub ciliis alii excreſcant, qui intro ſpectantes tunicas oculorum vellicant, ſomnum turbant, fluxiones & inflammationes inducunt ac videndi difficultatem. Interdum palpebræ ita relaxantur, ut extremitas eorum crinita intro vergat, quod malum Græci διστιχίασιν nuncupant, quæ eadem progignit ſymptomata, imo niſi opportune proſpectum fuerit, ipſam cœcitatem infert. vid. SENNERT. lib. I. Prax. part. 3. ſect. 2.

§. LXIV.

Curatio hujus affectus valde difficilis eſt; per reſectionem enim pilorum, per retractionem palpebrarum ope emplaſtrorum adglutinantium, per cauteria utraque vix unquam ſufficiens obtinetur medela, ut ſileam operationes haſce eſſe periculoſas æque ac dolorificas, niſi quis tranquille patiatur, ut ipſa palbebræ ora cum pilis adnatis reſcindatur & ſic cauſa in totum tollatur, quam operationem, ut & quid in relaxatis palpebris faciendum, legere licet in Celeb. L. HEISTERI Inſtit. chir. P. II. c. 45. & 46. p. 538. ſeqq.

§. LXV.

De pilorum incremento in defunctis.

Poſtremo meam ſubnectam ſententiam de eo, quod dicunt, pilos creſcere poſt mortem. Qui hoc negant ad avtopſiam pariter ac ii, qui illud affirmant, provocant. Id quod & ego facio; Halæ enim cum ſtudiorum cauſa commorarer & ſolidiſſimis Clariſſ. CASSEBOHMII ſectionibus intereſſem, vidi virum in Noſocomio hydrope defunctum, cujus barba, quam

multam

multam alebat, poſt mortem pro more deradebatur, ſed cum plura eodem tempore adeſſent cadavera, hoc poſterius per duas ſeptimanas in loco frigido ſepoſitum aſſervabatur, usque dum priora abſoluta erant, quo reaſſumto faciem tumidam & barbam multum excreviſſe obſervavi.

§. LXVI.

Nec a priori hujus incrementi impoſſibilitatem perſpicio. Pili enim ſunt & creſcunt ſicut vegetabilia, ſeu ſicut muſcus creſcit ſuper lapidibus, præterea ex tubulis conſtant capillaribus, quorum mos eſt, ut per leges adhæſionis fluidum abſorbeant, fluidum autem in ſufficiente quantitate adeſt, hinc non opus eſt circulo, quo fluida impellantur & quo, ut cauſa, deficiente ceſſare debere effectum, putant antagoniſtæ.

§. LXVII.

Et licet circulus humorum in defunctis ceſſet, reſtat tamen motus quidam inteſtinus a fermentatione productus, quo ad putredinem corpora diſponuntur. Et niſi motus quidam adeſſet, quomodo explicaremus pilorum illud defluvium in veneno mortuis, quod apud N. FONTANVM de Curat. p. 166. obſervatum legitur?

§. LXVIII.

Generatio pilorum in locis internis inſolitis.

Ad finem properaturus ſaltem pauca adhuc addam de generatione pilorum in diverſis internis corporis partibus inſolitis. Pilos in lingua genitos refert AMAT. Cent. 6. curat. 65. In corde enatos idem AMAT. l. c. p. 623. id quod etiam de Ariſtomene Meſſenio

narrat VALER. MAX. L. I. c. 6. vid. PLIN. L. II. Nat. Hiſt. c. 37. p. m. 800. ANTON. MVRET. L. XII. variar. lect. c. 10. In auribus, qui affectus Trichiaſis aurium dicitur, ubi poſt longam ſurditatem filamenta pituitoſa ſternutatione ejecta ſunt, uti tradit A. M. VENVSTVS Part. II. conſil. 26. in opere a Joh. LAVTENBACHIO collecto. Et quis neſcit, nævos illos, mures ſimulantes, denſis pilis non raro eſſe præditos iisdem murinis, qui vero non amplius creſcunt, ſed determinatam ſuam retinent magnitudinem, prout nec cilia nec ſupercilia, pilos congenitos, majus ſumere incrementum, conſtat.

§. LXIX.

Quod in ipſo chylo ſubinde generentur crines, probare videntur excrementa crinibus permiſta, quæ per alvum a nonnullis depoſita fuerunt, ſicut REIN. SOLENAND. ſect. 5. conſil. 15. ex obſervatione Echtii refert, quod I. Michelbachii filius crines cum excrementis veros ejecerit; id quod etiam de Hiſpano nobili teſtatur CARDANVS in Comment. ad Aphor. 76. Sect. 4. HIPPOCR. Quid? quod in venis reperiri crines, illi pro certo evincunt, qui ſanguinem plica correptorum aſpexerunt, in quo pili acres & ſtimulantes viſui ſe obtulerunt. Ceterum in mammis pilos generari poſſe, affirmat VESALIVS Lib. 5. c. 18. vid. HERCVL. SAXON. Lib. X. Panth. cap. 41. Devoratos vero ad ubera pervenire poſſe, credit MANARD. Lib. 7. Epiſt. med. 2. f. 85. & CARDANVS Lib. 8. c. 44. Sed idem negat HIER. MERCVRIAL. Lib. 3. de morb. mulier c. 5. de grumefactione lactis, & RONDELET. Lib. 18. de Piſcib. c. 25. f. 574.

§. LXX.

Porro de trichiaſi renum, qua cum urina pili minguntur, multa collegit exempla SCHENCK. l. c. p. 507. ſeq. & ulterius p. 557. recenſet hiſtoriam, qua mulier integros pilorum faſciculos per intervalla ex veſica excrevit, erant hi pili ſubflavi tenerrimi, materia, qualis matulis adhærere ſolet, calculoſa circumdati & igni admoti non modo flagrarunt, ſed nidorem etiam ex ſe remiſerunt. vid. NIC. FLORENT. Serm. 5. Tract. X. c. 21. Easdem ſordes crinitas per urinam excretas agnovit ACTVARIVS Lib. I. de cauſis urinarum cap. 21. Et NIC. TVLPIVS Cap. 52. Lib. 2. Pari modo HILDANVS Cent. V. obſ. 51. p. m. 439. enarrat inter alia, tumorem uteri poſt mortem diſſectum materiam ichoroſam & pilos ſubflavos exhibuiſſe. Et ipſe novi adoleſcentem, qui ex abſceſſu inveterato inter varia excrementa etiam tricas pilorum edebat, quod a multis pro incantamento habebatur.

§. LXXI.

Difficillima jam oritur quæſtio, unde hi pili & quomodo generentur? materia ex qua fiunt non ad quasdam glandulas, quæ ſerum ſecernunt, DOLAEO piloſas dictas, reſtricta eſt per §. 14. ſed qualem ſupponam §. 15. indicavi, hæc in toto proſtat corpore, vi vero legum ſecretionis a nullo colatorio, niſi quale crinibus competit, abſorbetur per §. 26. præterea ad pilorum incrementum plurimum conferre calorem §. 16. ſtatui, cui nunc addo, quod, ſi parentes calidi temperamenti fœcunde coeant, ſemper fœtus magis piloſus proveniat, quo ſimul evincitur, poſſe intus partes criniri, cum fœtus non ſit niſi pars matris.

§. LXXII.

Si itaque adſunt vaſa colatoria ſeu bulbi & certus caloris gradus, tunc in quacunque corporis parte interna æque ac externa pili gigni poſſunt. Sed quod absque bulbo, in fluido tantum, pili procreari poſſint, plane alia res eſt, quam equidem me explicare non poſſe, lubens fateor, ſed credere mallem, naſci pilos in loco ſolido interne, ob minorem vero cohæſionem majori ſuperveniente humorum motu eos abripi & ſic educi.

§. LXXIII.

In genere vero hic notandum venit, quod hujusmodi relationes non ſemper veritati correſpondeant, ſed ſæpe hic vitium committatur ſubreptionis. Ipſe vidi prope Jenam in Celeb. TEICHMEYERI prædio hæreditario Camsdorff puerum crines ex pene prodeuntes mentientem, ſed tanta veritatis ſpecie, ut vix pilus intereſſet, quo minus ipſe meus Præceptor pie colendus & alii commilitones de hoc rariori phænomeno non amplius dubitarent, niſi vir quidam ad obſervandum puero additus, aliquando ſomnum ſimulans in frivoli dolum penetraſſet, quo ipſe non ſine doloris ſenſu ſuos de capite pilos virgulæ intrudebat. Poſt ſtatim morbus evanuit. Quodſi igitur cautio hæc Honoratiſſimi mei Patroni non acceſſiſſet, puer ille pro lubitu comœdiam diutius egiſſet, & plures eleemoſynas a ſpectatoribus reportaſſet, ejus curatione forte obſervationibus medicis a diligentioribus dein inſerta.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Interdum etiam accidit, ut cum alimentis pili ingerantur, quæ tunc alvo ſoluta ſimul prodeunt, quale quid §. 69. adduxi, quis jam credet, hos pilos in corpore demum fuiſſe enatos? ſæpius quoque evenit, ut chylus craſſus imo ſanguis ad pilorum figuram teretem coaguletur, quæ partes HIPPOCRATI ſub nomine caruncularum capilliformium veniunt. Aphor. 76. Sect. IV. & quis neſcit, ſanguinem Pleuriticorum in aquam miſſum magna ex parte tranſire in filamenta interdum ſatis teretia? alio tempore filamenta ex menſibus mulierum albicantibus, ſeu in viris ex liquore proſtatarum, item quandoque ex ſemine in longum diducta pilos repræſentant. vid. FERNELII Pathol. c. 16. Neminem enim fore credo, qui non conveniat, diligentem naturæ vim genitricem ſolere multoties & alios parere errores; exemplo ſint varia vermium genera & Velſchii Dracunculi. Sufficit in ſubſtratis caſibus omnia prius probe eſſe diſcernenda, ne pilum pro lana videamus.

TANTVM.

Pag. 6. lin. 12. leg. *inveſtigabo.* p. 9. l. 3. leg. *ſufflamin.* p. 30. l. 2. leg. *bujusmodi.* p. 32. l. 16. leg. *palpebra.*

Hoc quoque reſtabat: muſarum linque palæſtras.
Accipe, quod dotes promeruere TVAE.
Hoc quoque reſtabat: veneremur fronde capillos
Cinctos, quam confert JVLIA noſtra TIBI.
En TIBI promeritos, quos nunc TIBI grator, honores,
Digna Machaoniis præmia temporibus.
Sic quoque, ſeu patriis felix agis otia terris,
Sive peregrini TE fovet aura ſoli,
Ad caros animo quandoque reviſe ſodales,
Et memor eſto mei. Sunt monumenta TVI.

Hiſce memoriam, cui latius conſuleretur,
gratulabundus proſequi voluit

H. J. MEIBOM,
Med. Cand.

Nichts iſt / das man ſo offt auf hohen Schulen hört/
Als dies: der **Lehrer** Zahl iſt abermahl vermehrt.
Und daher kömmts/ daß man auch nicht einmahl mehr
fräget/
Wie der beſchaffen iſt / der nun den Purpur träget.
Du/ Gönner! ſteigeſt auf und nimmſt den Titul an/
Damit man **Dich**/ wie die/ Herr Doctor nennen kan/
Allein **Du** hälſt **Dich** ſo/ **Du** kömmſt ſo in den Orden/
Daß jeder frägt: iſt der denn ietzt erſt Doctor worden?
Das

Das war Er längſtens wehrt! Fürwahr man ur-
theilt recht;
Die Farbe / die **Dich** ziert / ſteht **Dir** gewißlich echt.
Jedoch / ich bin **Dein** Freund / was ſoll ich **Dich** er-
höhen /
Man wird **Dich** doch noch mehr / als ietzt / erhöhet
ſehen.

Hiemit wolte ſeinem Hochgeſchätzten Freunde zu der rühmlichſt erlangten Doctor-Würde ſchuldigſt gratuliren und ſich zu ferneren geneigten Andencken beſtens recommendiren Deſſen aufrichtigſt-ergebenſter Freund und Diener

M. A. KAYSER.
Bever. Brunſvic. Med. Cand.

**Der Kunſt / der Wiſſenſchafft / der Tugend Sel-
tenheit**
Entſchließt ſich / **Julien** ein Klugheit Stück zu zeigen.
Und dies iſts nicht allein / o lang gewünſchte Zeit!
Sie will auch nach Verdienſt den Doctor-Stuhl be-
ſteigen.
Wie! ſolte nun die kurtz bey **Ihr** empfundne Luſt
Mir wohl ein obgleich ſchlecht doch hertzlichs Wünſchen
wehren?
O nein! **Ihr** günſtig ſeyn iſt mir ſchon viel bewuſt /
Der Him̃el wolle denn **Ihr** Glück je mehr vermehren.

Hierdurch wolte ſich der Wohlgewogenheit des Herrn Doct. beſter maſſen empfehlen Deſſen ergebenſter Freund und Diener

S. F. HACKE,
Luter. Brunſvic. S. S. Th. C.

Dein Fleiß / **Hochwehrter Freund** / **Dein** eiffriges Beſtreben
Will **Dir** den *Doctor*-**Hut** / ſtatt der Belohnung / geben;
Ich wünſche Glück dazu und ſprech wie jedermann:
Mit Ruhm und längſt verdient nimmſt Du denſelben an.

Dieſes überſchreibet zum Beweiß vertrauteſter Freundſchafft des Herrn *Doctorandi* allzeit ergebenſter Diener

Leutenberg, den 30. May 1740.

G. T. TRVEBEL,
Der Rechts-Gelahrheit und Metallurgie Befliſſner.

Die nebſt der Tugend ſich in Wiſſenſchafften üben
Die finden allerwerts den Lohn vor ihren Fleiß.
Mein **Freund**! die Tugend machts / daß **Dich** auch Fremde lieben /
Und die Gelehrſamkeit bringt **Dir** den Lorber-Reiß.
Du kanſt vor **Deine** Müh ietzt reiffe Früchte ſehen
Und ſtimmt des **Höchſten** Schluß mit meinen Wünſchen ein /
So wirſt **Du** fernerhin bey ſtetem Wohlergehen
In allen **Deinen** Thun vollkommen glücklich ſeyn.

Mit dieſen wenigen wolte ſeine billige Bey-Freude bey der rühmlich erlangten Doctor-Würde ſeines geliebteſten Bruders an den Tag legen

Jena, den 3. Junii 1740.

F. C. G. NOEBLING,
SS. Th. C.

)o(